

Continuavit ægra pilulis uti ad finem Novembris usque, tum optime valens recusavit diutius in nosocomio commorari.

Ab eo tempore pluries ipsam vidi, & 24. Martii adhuc apud me fuit in nosocomio sanissima, gratias adhuc agens pro recuperata sanitate.

Sub usu pilularum aliquoties ob alvum tardiore purgans dare debui.

EXPERIMENTUM XI.

Eleonora Gallapin, 22. annorum, 18. Augosti ad nos venit catameniis jam in quartum mensem carens, & magno capitis dolore, & vertigine a binis hebdomadibus affecta.

Ægra aspectu sanissima videbatur, appetebat, alvus omni die sponte dimitte-

batur, fitis non erat præternaturalis,
pulsus tamen plenus tangebatur, & omni
mane celerior, atque ægra ob vertigi-
nem extra lectum esse non poterat.

Venæ sectionem & alia medicamenta
adhibui, quibus menses adhuc sub finem
Augusti prodierunt, cum aliquo capitis
levamine.

Sperabam ideo ægram brevi sanitati
restituendam, verum tertia Septembbris
circa decimam matutinam incepit pau-
lis per extremis frigere; Incaluit de-
mum primo caput, dein calor descendit
ad artuum extremitates usque, tunc in-
cepit cantare, & dum accederet assistens
meus, valde clamavit, & strophio ocu-
los texit, custodem autem, & alias fœ-
minas minime timebat.

Hoc

Hoc duravit circiter per bihorium;
dein dormivit per tres horas, valde ca-
lens, cum parva, & celeri respiratione,
ac tempore somni multum sudavit.

E vigilans ignorabat omnia, quæ ante
somnia fecerat.

Sequenti die dum mane aderam, mo-
nuit me ipsa, sibi nunc esse, ut præceden-
ti die, dum paroxysmus inceperat:
hinc sollicite omnia examinavi: nulla
parte corporis, ne quidem capite dole-
bat, respiratio erat bona, pulsus rythmo
inæqualis, paulo contractior, oculi erant
humidi, facies roseo colore tincta, lingua
humida, abdomen vero tensum erat si-
ne minimo dolore.

Post $\frac{1}{2}$ horam jam calebat toto cor-
pore, ac jam viri aspectum metuebat, læ-
ta tamen videbatur, ridebat sæpe ac

brevi varias amatorias cantilenas cantavit; demum de diversis rebus fine connexione locuta, incepit dormire. Pulsus erat tunc liber, plenus, celer, aliquando inæqualis, respiratio difficilis, abdomen tunc minime tensum erat, post horam evigilans pulsum habebat naturalem, nec sciebat, quid ante somnum egisset.

Dedi ipsi solventissimum graminis decoctum, quo per 6. dies usa est, quo tempore omni die quandoque semel, aliquando bis paroxysmum habuit.

Caput his paroxysmis multum debilitabatur, & saepius vertiginosum erat: hinc corticem peruvianum ipsi dedi, cuius unc. ij^β intra quadriduum absumptæ in substantia, ne minimam mutationem effecere:

Cum

Cum viderem, corticem peruvianum nihil efficere, decoctum foliorum aurantiorum præscripsi, quo per octiduum etiam usa est, verum inde nihil mutata fuit.

Dedi dein solita antihysterica cum laudano copioso, & emplastrum aromaticum laudano & oleo menthæ mixtum abdomini applicui, unde paroxysmi minus frequentes facti sunt;

Verum dum ingruebant, diutius durarunt, & ægra finito paroxysmo multo debilior erat, quam post præcedentes, qui frequentiores accidebant.

Continuavi tamen hac methodo ad secundam Novembris usque, sperans, morbum demum cessurum medicamentis, verum vana spes fuit, malum enim vel omni die vel saltem alterno die redibat.

Hinc

Hinc dedi ipsi pilulas de Hyosciami extracto, ut ter de die unam sumeret.

Eo die non habuit paroxysmum, & qui die sequenti accidit lenis erat, & libera fuit usque ad diem octavam Novembris, qua die lenissimus fuit & brevis paroxysmus.

Perrexit ægra eandem dosin sumere per quinque hebdomadas, nec amplius redivit morbi insultus; retinui eam tamen in nosocomio adhuc per longum tempus donec rogaret, ut liceret ipsi discedere, quod facile concessi cum sana, & robusta fuit.

Dedi illi adhuc dosin pilularum, ut subinde sumeret.

Tertia Martii nosocomium accessit optime valens, & ajebat, se ne minimum incommodum ab eo tempore percepisse, quo ex nosocomio discesserat.